Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1385

Quelle:
Copyright:

res reddimur. 19. Explicatur uberius ratio Mediorum. 20. Objectio contra reſtaurationem generis noſtri ex paucitate Bonorum. 21. Alia Objectio contra generis noſtri redemptionem ex multitudine poenarum noſtrarum. 22. Tertia Objectio ex obligatione noſtra ad Legem. 23. Oeconomia noſtrae Reparationis. 24. Finis Reparationis noſtrae. 25. Modus primus deprehendendi, quae ſit Religio vera, et in Chriſtiana Religione qui ſint veri. 26. Deductio ſuperioris Capitis. Caput I. incipit: *Liceat mihi de Religione tractaturo communem omnium hominum prolepſin de Mentis cujuſpiam noſtra ſive bona, ſive mala moderantis exiſtentia hic praeſtruere,* Lector Threſkeuta (*Religioni addicte*) Παντες ἀνθρωποι περι Θεων ἐχουσι ὑπολῆψιν. *Omnes homines de diis habent praeſumptionem. Ariſtot. L. I. de Coelo c. 3. Porro omnium conſenſus naturae vox eſt.* &c. Non placet adpellatio τῶ Θρησκευτῶ, quam alio etiam loco repetit, ut enim Θρησκος, Θρεσκεια in *Epiſt. Jacobi* c. 1. et alibi generaliter accipiatur, ſaepe tamen Religionem ſuperſtitioſam notat. Ad Eccleſiam Rom. Catholicam totam diſputationem tandem deduci liquet vel ex his C. *ult.* verbis: *Eos non eſſe veros Chriſtianos, qui a die, qua dictum eſt: Supra petram aedificabo eccleſiam meam, opinantur dejectam fuiſſe et everſam Eccleſiam, — qui civitatem ſupra montem poſitam abſcondi potuiſſe affirmant* &c. non tamen perduci ad omnia, quae de hac Eccleſia Orthodoxi adfirmamus.

DCXVI.

Codex partim chartaceus, partim membraneus Sec. XIV. Folior. 203. manu diverſa, currente, difficili exaratus, rubricis notatus, nec parum ſitu paſſus Adverſaria quaedam Theologica complectitur, et I. *Collirium* (Collyrium) *preſens diuiditur in 6. partes principales quarum prima continet 65. hereſes ſiue errores.* Initium ejus eſt: *Primus enim eſt illorum, qui dicunt, quod eccleſia catholica ſolum eſt clericorum et non laycorum.* &c. Accedit ubique aut brevis ratio in obpoſitum, vel autoritas biblica, aut locus *Decreti* ſive *LL. Sententiar.* ubi ejusmodi error indicatur et refutatur. Autor eſt *Alvarus Pelagius* ex O. M. Epiſcopus *Silvenſis* in *Algarbia*, de quo adi *Nic. Antonii Biblioth. Hiſp. Vet.* edit. novae T. II. p. 151. Alterum ejus *Collyrium Regum* dabo infra inter *Aſcetas.* U. 190

II. *fol.* 10. Excerpta ſeu *Dicta S. Thome ex 2ª. 2ᵉ.* Nempe: *Vtrum obiectum fidei ſit veritas prima* &c. Mire turbata ſunt in *Codice* haec *Dicta*, eisque implexum Opuſculum *de Interdicto*, cujus initium habetur *fol.* 120. p. 2. praecedente a *fol.* 116. alphabetico Indice *Dictorum*, quorum clauſula *fol.* 110. *Deo gratias in die petri ſancti Noui martiris Anno domini* 1390. Non adeo quidem

Novi,